

Ministerialem *nisterialis primaria* Augustanae Conf. insinuatur, quæ fuerunt tum *infra-*  
 V. C. *scripti Elector* (in *Germanico Exemplari* legitur in plurali *Churfürsten*/  
 de quo valde tripudiat *Jesuita Forerus* in *Uberschlag & Rettung des U-*  
*berschlag* &c. ac existimat, reperisse sese, non quod pueri in faba, ut e-  
 vincat *Exemplar Germanicum Augustanae Conf.* in *Libro nostro Conc.*  
 cum instrumento seu prototypo non convenire; sed ostenderunt *Theo-*  
*logi Saxonici* in *Apologia Pupillæ Sax.* c. 28. p. 511. Sphalma typographi-  
 cum istud esse,) & *Principes* cum *aliis ipsis conjunctis*, tum etiam *ipsorum*  
*Theologi* ac *Concionatores*. Omnes hi mature venerant Augustam &  
 inter primos, quod citra jactantiam in Præfatione memorant, adfuerant;  
 id quod maximum fortis ac intrepidi animi indicium fuit, de quo etiam  
 nihil postea remiserunt in *Confessionis suæ causa*, adeò ut non nisi per  
*Calumniam & Papiſtæ*, *Florimundus Remundus lib. 2. cap. 7. p. 246.* & *Cal-*  
*vinistæ* in *Admonit. Neostad.* p. 228. metum nostris objiciant. Non igitur  
 Observ. I. (1.) à *paucis* tantum *Ordinibus* Imperii oblata fuit Confessio hæc, sed  
 ab *omnibus illis*, qui *γνήσιοι* Lutherani erant, quorum etiam numerus  
 in ipsis Comitibus insigni accessione fuit auctus, sicut memorat Cœ-  
 Observ. II. lestinus *loco all. Tom. 4. f. 93.* Nec (2.) ab *unico Philippo Mel.* fuit ador-  
 nata. Postquam enim mature singuli Status Theologos suos jus-  
 serant, ut conscriberent *certos articulos* negotio huic inservientes,  
 prout Cœlestinus *l. all. T. 1. f. 25.* & *Electoris Saxonici Literæ* ad Witte-  
 bergenses Theologos datæ (quarum copia in *hist. A. C. ad Annum*  
*1530. contra Wolffium p. 134.* legitur) testantur; Non Lutherus modo  
*septendecim Articulos* eam in rem scripsit, qui leguntur *Tom. 5. Ope-*  
*rum Jen.* sed etiam *cæterorum Statuum Theologi* simili studio rem  
 tractarunt, & *Augustam* secum apportarunt, ex quibus non  
 à *solo Philippo*, sed ab omnibus ibi congregatis Theologis Luthera-  
 nis *Philippo Mel. Job. Brentio, Justo Jona, Erhardo Schnepfio & Georgio*  
*Spalatino* Confessio hæc fuit composita. Quicquid sit *de Stylo*, quem  
*Philippus* moderatus est, & hæc Confessio etiam *Luthero Cobur-*  
*gi* hærenti ad revidendum ab Electore fuit transmissa, prout ex  
 literis *Electoris* apud Cœlestinum *l. all. f. 40. Tom. 1.* apparet. Operæ  
 pretium est, *Philippi Confessionem* super hac re audire, quæ extat in *Præ-*  
*fatione Tom. I. Operum Philippi: Congessi*, scribit ibidem, *simplici stu-*  
*dio capita Confessionis, quæ extant, complexus bene summam doctrinæ Ec-*  
*clesiarum nostrarum, & ut Imperatori responderetur, & ut falsa crimina*  
 depel-